Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26044
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Cui Gaius Galigula tercius ab augusto in regnum successit, uir omnium ante se sceleratissi-
mus et qui uere Romanis blasphemantibus ac iudeis persequentibus Christum ultor adhi-
bitus uidetur. Huius diebus diu in alexandria plurimis malis opprimentur iudei. phylo iu-
deus primus inter primos phylosophorum ab eis ad deprimenda querimonia ad cesarem mittitur.
Hic est phylo qui inter multa preclara librum in quo christianos commendat composuit. Librum quoque
sapientie qui sic incipit: Diligite iusticiam. quia grecam redolet eloquentiam. ab eodem editum es-
se creditur. In cuius rei argumentum quedam ibi posita de Christo non prophetarum sed hystoriographorum
more non futura predicantium sed preterita narrantium inuenies. ut est illud. Dixerunt im-
pii opprimamus uirum iustum iniuste sine causa, promittit se scientiam dei habere et filium dei
se nominat. Et item. Morte turpissima condempnemus eum. Hunc phylonem in tantum fuisse
sectatum platonem refert ieronimus ut in prouerbio apud grecos de ipso diceretur. y. Phy-
lon. Platanon y Platanon phylon. id est aut phylo est platonis. aut plato
phylonis. Cum igitur ad cesarem fungeretur legatione iudeorum. non solum ab eo ob illius populi
odium spretus est, sed et ut templum prophanet ipseque ut deus colatur ab augusto precipitur. Py-
latus quoque tantis a cesare malis atteritur ut suo se ~~gladio~~ interfecisse gladio dica-
tur. Vide iustissima et occultissima dei iudicia, de inimicis suis per flagicio-
sissimum hominem se ulciscitur. ipseque inmobilis manens. cum labore et dolore ci-
uium mundi de hostibus triumphat. Sunt non nulli qui eum apud viennam urbem gallie
in exilium trusum ac post in rodanum missum dicant. Unde usque hodie naues ibi peri-
clitari affirmantur ab incolis. Hisdem diebus cesar galliam germaniamque percurrens
in brittanniam uenit. ubi dum bellinum brittonum regis filium in deditionem acce-
.M. pisset. Romam reuertitur. Sed non minor eius in suos crudelitas quam in hostes fuit.
Sorores etiam suas quas primo stupro polluit postmodum exilio dampnauit. His et ali-
is multis tam flagiciose quam crudeliter gestis a sociis ac protectoribus suis. quarto
imperii sui anno interficitur. Inuenti sunt post mortem eius duo libelli. quorum unus
pugio. alius gladius dicebatur. in quibus lectissimorum Romanorum nomina morti desti-
natorum scripta fuisse dicuntur. Arca quoque uariis uenenis plena apud eum inuenta est.
Que in mare fusa plurimos ex piscium interfecerunt. Haut dubium quin per germinantia
christianorum tempora tam inmanem tyrannum ab hac luce dominus subtraxerit. qui si uixisset quan-
tam populi stragem facturus fuerat ex morte piscium datur intelligi. XIII.
Anno ab incarnatione domini xl. iiii. occiso gayo. tyberius claudius quartus ab augusto imper-
ium suscepit. Huius diebus famem fuisse in iudea quam agabus ante predixerat refert lucas.